C. AQVILIVS GALLVS, *non ex recentiore illa, ſed ex ueteri Gallorum familia, nobilis, & eques* Romanus *fuit. Ius didicit à* Q. Mutio *Scæuola* Pontifice *maximo, tam feliciter, ut ſcriptarum legum rationem nunquam ab æquitate ſeiungeret.* De iure *comiter reſpondebat omnibus: ſed ſi quando aliquis ad facti apud iudicem proponendi functionem eum uocaret: ad* Ciceronem, *inquiebat: inſinuans, oratoris officium eſſe, facti ſeriem exornare.* Erat *autem Ciceroni familiaris & collega. Hunc Gallum citat Scæuola, ſcilicet Serbidius ille, in l.Gallus. ff. de liber.& poſtu.*

M. ANTISTIVS LABEO, *patre Antiſtio Labeone ſapientia illuſtri natus, ueteris Antiſtiorum familiæ gloriam adauxit, Octauio Auguſto imperante, ſub quo natus eſt Chriſtus. Sunt qui putant hunc Labeonem filium laudaſſe patris ſui ſententiam: uel certè poſteriorem aliquem Labeonem id ſcripſiſſe, in l.quibus diebus.§.ulti.ff. de conditio.& demonſtra. Sed neutrum ſtatui poteſt ex illo loco, qui ſecundum ueram lectionem non eſt Labeonis, ſed Iaboleni. De hoc inferius plura.*

ALFENVS VARVS, *Cremonenſis, ſub eodem Octauio: primum ſutrinam didicit: deinde Seruio Sulpitio præceptore iuri operam dedit, factusq; tandem eſt conſul,* Anno *Chriſti tertio.*

MASVRIVS SABINVS, *claruit regnante Tyberio, Anno* X X.

M. COCCEIVS NERVA, *pater, & filius: uterq; Iuriſconſultus. Pater adfuit Tyberio Cæſari: qui cùm*

pro lib

pro libidine omnia cœpiſſent agere, Nerua per abſtinentiam cibi mortis conſilium iniuit, Anno XXV. *Filius uerò, ex quo natus eſt* Nerua *optimus* Imperator, *ſcripſit libros* De *uſucapionibus: & anno ætatis decimoſeptimo, de iure publicè reſponſitauit, teſte* Vlpiano *in l. prima. ff. de polan.* Fuerunt *&* Syllij *&* Licinij Neruæ, *ſed alterius familiæ.*

LICINIVS PROCVLVS, *Othoni cum* Vitellio *de imperio concertanti, charus fuit, maximæq́; autoritatis.* Neruæ *patris ſui ſcholam tanta laude excepit, ut ab eo* Proculiani *ſint dicti: ſicut à* Sabino Iuriſcoſ. *Sabiniani appellantur in* §. *cùm ex aliena. Inſtitut. de rerum diuiſio.*

PRISCVS IABOLENVS, *ſub* Veſpaſiano *quidem fuiſſe uidetur: ſed ad* Antonini Pij *imperium uſque peruenit. Is ſæpe ſolet* Labeonis *autoritatem adducere in* Pandectis.

P. IVBENTIVS, *uel, ut alij,* I. Iuuentius Celſus, *ex* Iubentiorum *clara admodum familia: patrē habuit eiuſdem nominis.* Vterq; Traiano *&* Hadriano *optimis principibus, magno fuit in pretio,* Anno CXVI.

NERATIVS PRISCVS, *Celſi patris ſui ſcholam excepit iiſdem temporibus. Hunc laudatiſſimus* Imperator Traianus, *ipſe quoque* Iuriſconſultiſſimus, *tam charum habuit, ut ſucceſſorem imperij* Romani *relinquere in animo haberet.*

ABVRNIVS, *ut alij,* Alburnius Valens *ſub* Hadriano *&* Antonino Pio *fuit.* Anno CXXXIIII. *Huius eſt, l. penult. ff. de aliment. & ciba. legat.*

TERTYLLIANVS, *eodem tempore.*

L. VOLVSIVS METIANVS, *quē tunc quoq; fuiſſe*

fuiſſe teſtatur.l.diui fratres.ff.de iur.patrona.

SALVIVS IVLIANVS, *cognomento Seuerus, Mediolanenſis, Hadriano in iudicijs adſeſſor: deinde Antonino Pio, ac diuis fratribus admodum charus fuit. Anno,* CXXXIIII.

VLPIVS MARCELLVS, *cuius ætatem ab Antonino Pio, ad Seuerum uſq; extendunt. Anno,* CLX.

SERBIDIVS SCAEVOLA, *qui M. Antoninum Imperatorem philoſophi cognomine decoratum, & ante imperium priuatim inſtituit, & poſtea adiuuit conſilijs. Anno,* CLXXIII.

AEMILIVS PAPINIANVS, *Hoſtilij Papiniani filius, Septimio Seuero intimus fuit, & præfectus prætorio. E cuius ſchola tanquam ex æquo Troiano multi Iuriſperiti prodierunt. Vnde iuris aſylum appellatus eſt. Tandem iuſſu ſceleratiſſimi Imperatoris Antonini Baßiani Caracallæ, quòd illius parricidium excuſare nollet, crudeliter occiſus traditur. Anno,* CCIIII.

HERENNIVS MODESTINVS, *Papiniani diſcipulus perquàm celebris fuit.*

T. CAIVS, *ſub Caracalla, qui per ſcelus imperium obtinuit, à multis creditur fuiſſe circiter annũ* CCXVII. *Cæterùm, quando Gellius facit mentionem alterius quoque Caij: utrius ſint reſponſa in Pandectis, ambiguum manet. Pomponius in l. ij. ff. de orig.iur.inter Seruij auditores Caium adnumerat. Vlpianus Caium Caßium citat in l. quid ergo.ff.de uſufruct.*

DOMITIVS VLPIANVS, *clariſsimus poſt Papinianum iuris & æquitatis conſultus, elegantiæ autem cum primis ſtudioſus: Phœniciæ urbe Tyro (ut ipſe fatetur, in l. j. ff. de cenſibus) oriundus fuit. Alexandro principi opti-*

mo primum tutor, mox conſiliarius, tandem præfectus prætorio deſignatus eſt. Anno, CCXXX.

IVLIVS PAVLVS *Patauinus, Vlpianum & uirtute, & fortuna propemodũ æquauit. Anno,* CCXXXII. *Huius meminiſſe uidetur Labeo, non ille Antiſtius, ſed alius quidam poſterior, in l. penulti. ff. de exceptionib. niſi corruptum ſit exemplar. Nam plerique codices hoc principium, Paulus, non habent. Et ferè ubique Paulus Labeonem allegat, l. quamuis. ff. de in ius uocan. Referunt tamen quendam Labeonem Domitium, uel quacunque progenie fuerit, Hadriani temporibus floruiſſe.*

IVLIVS MAVRITIANVS, *cui D. Haloander tribuit, Ad leges libros ſex. Alij teſtantur quendam Martianum Mauritianum, quem Didius Iulianus Imperator iuſſerat occidi: ſed elapſus, poſtea à conſilijs Alexandro fuit. Sex & decem Inſtitutionũ, alios'que multos ſcripſit libros.*

SEXTVS POMPONIVS, *gentis Pomponiæ, clariſſimus fuit iuriſconſultus, qui ſcripſit l. ij. ff. de origine iur. Ne interim quiſpiam hallucinetur, nos loqui de Pomponio grammatico, aut de Pomponio Mela, uel de Pomponio Læto. Fuit autem hic noſter Pomponius ſub felici imperio optimi principis Alexandri, & quidem magno in honore & autoritate. Anno,* CCXXXII.

Multi præterea ſunt Iuriſcoſ. quorum ætates in tanta rerum uarietate certò non poſſumus habere compertas: præterquam quòd ab imperio Seueri, ad Maximini uſque monarchiam fuiſſe eos conſtat: hoc eſt, ab anno CXCVI. *uſque ad annum* CXXXVIII.

Quales ſunt hi:

TARRANTINVS PATERNVS.

AEMILIVS MACER.

AELIVS

AELIVS MARTIANVS.

TERENTIVS CLEMENS, *diſcipulus Papiniani inſignis.*

ARRIVS MENANDER.

AVRELIVS ARCADIVS, *qui &* CHARISIVS, *autor, l. ff. de teſtibus.*

LICINIVS RVFINVS.

PAPIRIVS FRONTO, *ſiue* IVSTVS, *qui allegatur in l. nauis. ff. ad leg.* Rhod. *de iact.*

ANTHIVS, *uel* P. FVRIVS ANTHINVS.

MAXIMVS.

HERMOGENIANVS.

AFRICANVS, *huius reſponſa plerunque ſunt obſcura. Vnde prouerbium natum:* Africani lex, *hoc eſt, difficilis.*

FLORENTINVS.

CLAVDIVS TRIPHONINVS.

CLAVDIVS SATVRNINVS, *autor l. Aut facta. ff. de pœnis.*

CALLISTRATVS.

VENVLEIVS SATVRNINVS.

IVLIVS AQVILA, *non admodum claruit, ſcripſit tamen reſponſorum lib.* I.

AELIVS GALLVS.

Iſti propemodũ omnes Papiniani *fuerunt auditores, imperium* Alexandri *mirũ in modũ illuſtrantes.* Nam *ſub nullo alio Cæſare tot* Iuriſcoſ. *eodem tempore claruiſſe tradũtur.*

QVO TEMPORE
ROMANORVM LEGES
introductæ, ac rurſus oppreſſæ, tandemq́; reſtitutæ ſint.

I.

VRbs Roma princeps orbis, quæ DEI *deſtinatione optimas nobis uiuendi leges dedit, condita fuit, Anno mundi* MMMM. CCCCL. *Ante* CHRISTVM *natum annos fermè ſeptingentos. Vſa eſt initio monarchia, hoc eſt, unius dominatione: non tamen omnibus numeris abſoluta: quoniam ſcriptis carebat (quot opus eſſet) legibus. Imperarunt autem reges urbi magis, quàm orbi. Nam uix ad decimumquintum uſque lapidem Romana extendebatur ditio, cùm eijcerentur. Annos regnarunt* CCXL. *uel ut alij tradunt,* CCXLII.

II.

Exactis deinde regibus, experti ſunt Romani Ariſtocratiam, hoc eſt, optimatium dominationem: & mixtim Democratiam, id eſt, multitudinis imperium: quę tamen mox priuatis commodis corrupta fuit ad Oliarchiam. Creati enim ſunt duo Conſules annui ex patribus. Mox plebs tumultuans ſuos magiſtratus adiecit. Anno ab urbe condita CCXL. *Mundi ueò,* MMMM. DCLIIII. *Et hic quidem ſtatus durauit uſque ad Iulium Cæſarem, annis ferè* CCCCLXIIII.

III.

Interim cùm publica pax & concordia ſine ſcriptis legibus retineri non poſſet: non multo tempore poſt eiectos reges, ſecundum Pomponium annis XX. *adlatæ ſunt ex*

Græcia leges duodecim tabularum. Anno poſt conditam urbem CCCII.

IIII.

Cùm iam imperio ſingulari Iulij Cæſaris, Reſpublica Romana ad monarchiam rediiſſet, multiplicatis nurum in modum legibus, & à diuerſis ſcholarum autoribus in diſputationem plus æquo perductis: maioris uidebatur negotij, leges tam immenſas componere, quàm fuerat olim deſcribere. Sic humana fragilitas in utranque ſemper peccat partem: aut nihil, aut nimium facit: non curat medium. Iuſtinianus itaque Cæſar LXXIX. *omnia Romanorum ſcripta in unum conſarcinauit opus: quod inde Græcis Pandectas, Latinis Digeſta nuncupauit: ut utriſque in commune obſeruantiam autoritate ſua promulgari oſtenderet. Vſus eſt ad hoc opera præcipuè Triboniani, hominis admodum gloriabundi. Anno* CHRISTI D. XXIX.

V.

Non multis annis poſt imperium Iuſtiniani, cùm per bellicos inſultus continuos in Italiam leges Romanæ tantummodo oppreſſæ iacerent, regnantibus tum iniquiſsimis Langbartorum, aliarumq́; gentium conſtitutionibus: Vuernherus quidem in Italia apud reginam Mechthildim, obſitos iam pulueribus in bibliothecis Pandectarum libros in lucem reduxit. Hos Lotharius II. *dux Saxonum, Cæſar Germanicus* XVIII. *perpendens æquitatem iuxta & humanitatem Romanarum legum: iuſsit in ſcholis atque iudicijs publicè tractari. Anno* M. CXXVII.

VI.

Huius nouæ rei ſtudio (ut fieri ſolet) mirum in modum exercitati ſunt cum Vuernhero (quem Irnerium uocant) plerique alij, præſertim Azo: ut illuſtratæ iuriſprudentiæ

gloriam reportarent. *Paulò pòſt* Hugolinus, *Martinus*, *Placentinus*, Ioannes, *Vldericus*, *gloſſas ſuas* Pandectis *adiecerunt*, Anno M. C X C. *Idq́; profectò infeliciter.* Nam *quum ſumma illo ſeculo eſſet linguarum inopia: non potuit fieri, ut barbari perciperent* Romanos.

VII.

Tandem ſucceßit Accurſius, auditor Ioannis *&* Azonis, *attingẽs Friderichi* II. *imperiũ*, Anno M. C C X X V I. *Is repetitis omnium prædictorum gloßis & opinionibus, ſuas adiecit mirabili quadam inconſtantia: ſicq́; præclaram iuris diſciplinam imprudens corrupit.* Non *enim fidem eius & ſcribendi conſilium arguo: ſed culpam dantis damnum imperitia, probare nemo poteſt ſanæ mentis.* Ipſe *ſibi placens, gloſſemata ſua commendat in l. ficta. §. ſi in danda. ff. ad ſenatuſconſult.* Trebell. Et, Nouell. *Vt præpona. nomen* Imperato.

VIII.

Poſtremò, cùm gloſſandi materiam uiderent eſſe conſumptam: cœperunt commentandi functionem turmatim amplecti in totum ius ciuile, aut uerius in omnes gloſſas iuris ciuilis. Non *enim uerba textus, ſed uerba gloſſarum, & opiniones ſequuntur, ſicut pueri coruos.* Ibi *tum ſuperioris ſeculi altercationes, nouis (ſi dijs placet) intellectibus multiplicatæ ſunt in infinitum.* Et *in primis commentatus eſt in* Pandectas Dynus Muxellanus. Deinde Petrus de Bella Pertica, Burgundus, *&* Iacobus de Arena, Parmenſis: *quorum* Bartolus *ſæpe facit mentionem.* Cynus *item diſcipulus* Dyni, Anno M. C C C. Tum Iacobus de Butrigarijs, *&* Reinerus *de foro* Liuij, Anno M. C C C X X. Mox Bartolus *ipſe, cui inter omnes illius ſeculi* Iuriſperitos *principatum rectè tribuunt.* Vixit *ſub* Henricho V I I. Lucelburgenſi

genſi, Cæſare Germano X X X. *Cùm autem iudex eſſet maleficiorum, perturbatus quorundam calumnia, redijt ad ſtudia iuris in ſolitudine, ſecundo à ciuitate* Bononienſi *lapide: rurſusq; ad profitendum accerſitus, moritur.* Anno, M. CCCLV. *Et mediusfidius ſepulta cum eo fuit uera iuris cognitio.* Negas? *Audi rationem: Ius ut ſciatur, & certum, & finitum eſſe debet in foro. Sed hactenus ius in uſu neque certum neque finitum fuit.* Ergo *ius rectè intelligi non potuit.* Reſponde *citra calumniam, ſi quid habes.*

IX.

Hoc autem ſeculo prælucēte CHRISTI *uerbo, omnes bonæ artes in* Germania *noſtra primùm renatæ ſunt.* Nam *(quod ad iuris diſciplinam attinet)* Pandectarum *lectionem* optima *fide ac multo labore (ut* Apellus *quoque uir magnæ eruditionis teſtatur) reſtituit nobis doctiſſimus* Haloander, *anno* M. D. XXIX. *Cui profectò &* Nurenbergenſi Reipublicæ, *totus orbis* Romanus *nunquam parem referre poteſt gratiam, ſi magnitudinem beneficij rectè expendat.* Atque *ô utinam* Deus *uirum illum aliquantò diutius nobis commodare uoluiſſet, ad reſtaurandam æqui & boni notitiam.* Proinde *ſi reliquos eiuſdem farinæ anteſignanos uidere uolueris, adi clariſſimum* D. Iacobum *Spiegelium, qui in erudito atque incomparabilis utilitatis* Lexico *ſuo, reſtitutis* Romanis *uocibus ex optimis quibuſque autoribus, neminem ſua laude uoluit defraudatum, ipſe uel eo nomine laudatiſſimus.* Hunc *uirum* Germaniæ *noſtræ optimum ciuem, quidem* Floridus Italus, *cuius anteà memini, amarulento admodum ſtylo nuper inſectatus eſt.* Verùm *(ita me* Deus *amet) arenam ſpargens, ſeipſum fœdè commaculat.* Aut *enim ingratiſſimus*

homo ille inuidet Reipublicæ *bonarum literarum & ciuilis diſciplinæ reſtitutam utilitatem, tentans abſterrere omnes ab hac opera:* Aut certè ad *agnatos eſt deducendus, ut qui comumni ſenſu carens, non uidet rei literariæ maieſtatem, quæ nunc tandem ad nos redit: hominum quidem opera uelut mercenaria, ſed diuino prorſus muraculo.* Nam *quòd* Deus *ſingulari clementia (quam nos tamen ægrè agnoſcimus) uoluerit hoc ſeculum rurſus illuſtrari: nullo magis, pro mea ſimplicitate, moueor argumento, quàm quòd palàm eſt, omnia bonarum artium dona puritati genuinæ nunc tandem reſtitui.* Siquidem *quando ex frequenti comitatu primatum, ſolemus magni alicuius principis præſentiam æſtimare: quis ſanæ mentis negauerit in tam ſplendidis rebus diuinam uerſari uirtutem? iuxta illud:*

Ecce *renaſcentis teſtatur gratia mundi,*
Omnia cum domino dona rediſſe ſuo.

Faceſſant *itaq; ineptiæ* Floridi *(ut parcè dicam) quem ne* Italiæ *quidem boni ciues probabunt ſic tumultuantem: & agnoſcamus* Spiegelij, *aliorumq; præceptorum in nos beneficia.* Tandem *enim nihil reſtare uideo, quàm ut unanimi conſenſu optimam iuris & æquitatis artem obuijs manibus amplectamur: cuius ductu uita hac mortali tranſacta, poſtremus ille dies apud tribunal* CHRISTI *iuſtiſſimũ lætos ſiſtat uos omnes.*

*

REGVM OMNIVM, AC IMPERATORVM ROMANORVM CATALOGVS,

Ad iuris cognitionem propter nominum & temporum rationem ualde neceſſarius.

Anni ante Chriſtum natum.	REGES	Numerus regum.	Anni imperij.
871	*Romulus*	1	37
714	*Numa Pompilius*	2	41
673	*Tullus Hoſtilius*	3	32
641	*Ancus Martius*	4	23
618	*Tarquinius Priſcus*	5	35
583	*Seruius Tullius*	6	34
549	*Tarquinius Superbus, eiectus regno ob uiolatam à filio Sexti Tarquinij Lucretiæ pudicitiam*	7	35

Anni Chriſti.	IMPERATORES	Nume. Imperatorum.	Anni imperij.
46	*C. Iulius Cæſar*	1	5
40	*C. Cæſar Octauianus Auguſtus*	2	55
16	*Claudius Tyberius Cæſar*	3	23
39	*C. Cæſar Caligula*	4	4
43	*Tyberius Claudius Cæſar*	5	13
55	*Claudius Domitius Nero Cæſar*	6	14

Anni Chriſti.	IMPERATORES	Num. Impe-ratorũ.	Anni impe-rij.
69	*Seruius Sulpitius Galba Cæſar*	7	1
	Mar.Syluius Otho	8	
	A. Vitellius	9	
70	*Flauius Veſpaſianus Pater*	10	10
81	*T.Veſpaſianus Filius*	11	2
83	*Fl.Domitianus*	12	15
88	*Cocceius Nerua*	13	2
100	*Vlpianus Traianus*	14	19
119	*Aelius Hadrianus*	15	21
140	*T.Aurel. Fulu.Antoninus pius*	16	22
162	*M.Aelius Antoninus Philoſophus,& L.Aelius Commodus Verus diui fratres,duo A A. ſimul*		
172	*M. Aelius Antoninus philoſophus ſolus*	18	6
178	*M.Aelius pater,& Commodus,filius Antonini. A A.*	19	3
181	*Antoninus Commodus ſolus*	20	13
194	*P.Aelius Pertinax*	21	1
	Didius Iulianus	22	
195	*L.Septimius Seuerus pater, & M.Baſſanus Antoninus Caracalla filius*	23	18
213	*M.Antoninus Caracalla ſolus*	24	6
219	*Opilius Macrinus*	25	1
220	*M.Antoninus Heliogabalus*	26	4
224	*Aurelius Alexander Seuerus*	27	13
237	*Iulius Maximinus cum filio*	28	3
240	*Gordianus iunior*	29	6

M.Iul.

Anni Chriſti.	IMPERATORES	Nume. Imperatorũ.	Anni Imperij.
246	M. Iul. Philippus	30	5
291	Decius cum filio Cæſare	31	2
253	Gallus Hoſtilianus, & Voluſianus filius	32	2
255	Licinius Valerianus & Gallienus	33	7
262	Gallienus & Valerianus Iun.	34	5
267	Gallienus ſolus	35	3
270	Fl. Claudius	36	2
272	Valer. Aurelianus	37	6
277	Ann. Tacitus	38	1
	Florianus	39	
278	Aurelius Probus	40	6
284	Carus, Carinus, & Numerianus	41	1
285	Carinus & Numerarius	42	1
286	Diocletianus Iouius	43	1
287	Diocletianus Iouius, & Maximianus Herculius	44	21
308	Conſtantius Chlorus, & Maximian. Galerius	45	2
310	Maximi. Galer. & Conſtantinus	46	3
313	Conſtantinus, Maxentius, Licinius & Maximinus	47	2
315	Conſtantinus, Licinius & Maximinus	48	4
319	Conſtantinus & Licinius	49	8
327	Conſtantinus ſolus	50	13
340	Conſtantinus, Conſtantius & Conſtans	51	3
343	Conſtantius & Conſtans	52	10

Conſtant

Anni Chriſti.	IMPERATORES	Nume. Imperatorum.	Anni Imperij.
353	*Conſtantius ſolus*	53	11
364	*Claudius Iulianus*	54	2
366	*Iouinianus*	55	1
367	*Fla. Valentinianus, & Fla. Valens*	56	3
370	*Fla. Valentin. Fla. Valens, & Fla. Gracian.*	57	8
378	*Fl. Valens, Fl. Gratianus, & Valentinianus* II.	58	3
381	*Gratianus & Valentinianus* II.	59	1
382	*Gratia. Valen.* II. *& Theodoſi.*	60	5
387	*Theodoſius ſolus*	61	1
388	*Theodoſius & Arcadius*	62	6
389	*Valentin.* II. *Theodoſ. & Arcad.*	63	6
395	*Theodoſ. Arcadius & Honorius*	64	3
398	*Arcadius & Honorius*	65	7
405	*Arcadius Honorius & Theodoſius Iun.*	66	21
426	*Theodoſius Iun. ſolus*	67	2
428	*Theod. Iun. & Valentian.* III.	68	25
453	*Valentin.* III. *& Martianus*	69	5
458	*Martianus ſolus*	70	2
460	*Leo & Maiorianus*	71	4
464	*Leo & Seuerus*	72	4
468	*Leo & Anthemius*	73	4
472	*Leo ſolus*	74	4
476	*Leo Iunior, & Zeno Iſauricus*	75	1
477	*Zeno Iſauricus, ſolus*	76	17
494	*Anaſtaſius*	77	27

Iuſtinus

Anni Christi.	IMPERATORES	Nume. Imperatorũ.	Anni Imperij.
521	*Iuſtinus*	78	8
529	*Iuſtinianus, autor componendi iuris, & Nouellarum conſtitutionum.*	79	38

Habes iam Imperatores,quorũ fit mentio in Pãdectis & Codice. Sub illis enim qui ſequũtur,imperium Romanum cum legibus propè fuit extinctum:præſertim ſub Foca. Sic Deus uiciſſitudine cõtinua incõſtantiã huius mũdi nobis ob oculos ponit,ut diſpliceat,ne cor apponamus,ambiẽtes ſemper æternã uitam & immutabilẽ,fides ſcilicet in Chriſtum, & beneficij erga proximum.

566	*Iuſtinus* II.	74	10
576	*Tyberius* II.	75	7
584	*Mauritius*	76	20
604	*Focas*	77	8
612	*Heraclius*	78	29
641	*Conſtantinus* II.	79	
642	*Heracleonas*	80	2
643	*Conſtans* II.	81	27
670	*Conſtantinus Pogonatus* III.	82	17
687	*Iuſtinianus* II.*expulſus*	83	10
697	*Loentius*	84	3
700	*Tyberius Abſimarus* III.	85	7
707	*Iuſtinianus* II.*reuocatus ad imperiũ*		6
713	*Philippicus Bardeſanes*	86	2
715	*Anaſtaſius* II.	87	2
717	*Theodoſius* III.	88	1
718	*Leo* III.	89	24
742	*Conſtantinus* IIII.	90	34

Leo

Anni Chriſti.	IMPERATORES.	Num. Imperatorũ.	Anni Imperij.
777	Leo IIII.	91	5
783	*Conſtantinus* V.	92	15
798	Nicephorus	93	4

Sequuntur nunc Germani Imperatores: quorum non minor uirtus, certè maior fides rerum agendarum & modeſtia, quàm ſuperiorum fuit.

801	*Carolus Magnus, ſub quo translatũ fuit ad Germanos imperium*	94	14
815	*Ludouicus* I.	95	26
841	*Lotharius*	96	15
856	*Ludouicus* II.	97	20
876	*Carolus Caluus* II.	98	5
881	*Carolus Craſſus* III.	99	10
891	*Arnolfus*	100	12
903	*Lodouicus* III.	101	10
912	*Cunradus*	102	7
920	*Henrichus Auceps*	103	17
938	*Otho* I.	104	36
974	*Otho* II.	105	10
984	*Otho* III.	106	19
1003	*Henrichus Claudus* II.	107	22
1025	*Cunradus* II.	108	15
1040	*Henrichus Niger* III.	109	17
1057	*Henrichus* IIII.	110	50
1107	*Henrichus* V.	111	20
1127	*Lotharius*	112	13
1140	*Cunradus* III.	113	14
1152	*Friderichus Barbaroſſa, autor Cõſtit. Habita. C. Ne fili. pro pat.*	114	37

Frideric

Anni Christi.	IMPERATORES	Num. Imperatorũ.	Anni imperij.
1186	*Friderichus Barbar. & Henri.* VI. *filius*	115	4
1190	*Henrichus* VI. *ſolus*	115	7
1198	*Philippus*	116	10
1209	*Otho* IIII.	117	4
1213	*Friderichus* II.	118	37
1250	*Cunradus* IIII.	119	4
1154	*Vuilhelmus*	120	2
	Interregnum ab anno M. CCLVI. durauit ad annum M. CCLXXIII.		
1273	*Rudolphus*	121	19
1292	*Adolphus*	122	6
1298	*Albertus*	123	10
1309	*Henrichus* VII.	124	5
1314	*Ludouicus* IIII.	125	31
1346	*Carolus* IIII.	126	33
1378	*Vuencelaus*	127	22
1400	*Rupertus*	128	10
1410	*Sigiſmundus*	129	27
1438	*Albertus* II.	130	2
1440	*Friderichus* III.	131	46
1486	*Friderichus* IIII. *A. & Maximilianus filius* C.		14 8
1494	*Maximilianus ſolus*	132	25
1519	*Carolus* V.	133	
1530	*Carolus* V. A. *& Ferdinandus* C. *fratres*	134	

REGV.

REGVLAE IVRIS ANTIQVI, EX PANDECTIS.

ACTIO.

PAVLVS

Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipſam rem habere uidetur.

VLPIANVS

Diuus Pius reſcripſit, eos, qui ex liberalitate ſua conueniuntur, in id, quod facere poſſunt, condemnandos.

IDEM

Non debet actori licere, quod reo non permittitur.

POMPONIVS

In eo, quòd uel is, qui petit, uel is, à quo petitur, lucri cauſa facturus eſt: durior cauſa eſt petitoris.

VLPIANVS

In re obſcura melius eſt fauere repetitioni, quàm aduentitio lucro. l. non debet.

CAIVS

Quoties concurrunt plures actiones eiuſdem rei nomine: una tantùm quis experiri debet. l. nemo ex ijs.

PAVLVS

Cuius per errorem dati repetitio eſt, eius conſultò dati donatio eſt.

CAIVS

Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur.

VLPIANVS

Ex pœnalibus cauſis non ſolet in patrem de peculio actio dari.

IDEM

IDEM

Omnia, quæcunque cauſæ cognitionem deſiderant, per libellum expediri non poſſunt.

IDEM

Si in duabus actionibus alibi ſumma maior, alibi infamia eſt: præponenda eſt cauſa æſtimationis. Vbi autem æquiparantur famoſa iudicia: & ſi ſummam disparem habeant: pro paribus accipienda ſunt.

IDEM

Eius eſt actionem denegare, qui poßit & dare. l. qui uetante.

PAVLVS

Nihil intereſt, ipſo iure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.

CELSVS

Nihil peti poteſt ante id tempus, quo per rerum naturam perſolui poßit: & cùm ſoluendi tempus obligationi additur, niſi eo præterito, peti non poteſt.

VLPIANVS

Nunquam actiones, præſertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam conſumit.

IDEM

Nemo alieno nomine lege agere poteſt.

IDEM

Illi debet permitti pœnam petere, qui in ipſam non incidit. l. cùm par.

CAIVS

Omnes actiones, quæ morte aut tempore pereunt, ſemel incluſæ iudicio, ſaluæ permanent.

VLPIANVS

Cui damus actionem, eidem exceptionem competere multò magis quis dixerit. l. inuitus.

IDEM

Minus eſt actionem habere, quàm rem.

POMPONIVS

Si filiusfamiliâs ſub conditione ſtipulatus, emancipatus fuerit, deinde extiterit conditio: patri actio competit: quia in ſtipulationibus id tempus ſpectatur, quo contrahimus, l. quæ legata.

ACTVS.

POMPONIVS

Actus legitimi, qui non recipiunt diem uel conditionem: ueluti emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, ſerui optio, datio tutoris: in totum uitiantur per temporis uel conditionis adiectionem. Nonnunquam tamen actus ſuprâſcripti tacitè recipiunt, quæ apertè, comprehenſa uitium adferunt. Nam ſi acceptum feratur ei, qui ſub conditione promiſit: ita demum egiſſe aliquid acceptilatio intelligitur, ſi obligationis conditio extiterit. Quòd ſi uerbis nominatim acceptilationis comprehendatur: nullius momenti faciet actum.

ACCIPERE.

VLPIANVS

Non uidetur cepiße, qui per exceptionem à petitione remouetur.

CAIVS

Non uidetur quiſquam id capere, quod ei neceſſe eſt alij reſtituere.

PAVLVS

Si quis obligatione liberatus ſit, poteſt uideri accepiſſe. Non poteſt uideri accepiſſe, qui ſtipulatus poteſt exceptione ſubm

ne ſubmoueri.

IVLIANVS

Non uidentur data, quæ eo tempore, quo dantur, accipientis non fiunt.

ACCESSORIVM.

PAVLVS.

Cùm principalis cauſa non conſiſtit: nec ea quidem quæ ſequuntur, locum habent. l. nihil dolo.

ABSENTIA.

VLPIANVS

Abſentia eius, qui Reipublicæ cauſa abeſt: neque ei, neque alij damnoſa eſſe debet.

BENEFICIVM.

PAVLVS

In omnibus cauſis id obſeruatur, ut ubi perſonæ conditio locum facit beneficio: ibi deficiente ea, beneficium quoque deficiat. Vbi uerò genus actionis id deſiderat: ibi, ad quemuis perſecutio eius deuenerit, non deficiat ratio auxilij.

MODESTINVS

Priuilegia quædam cauſæ ſunt, quædam perſonæ. Et ideò quidem ad hæredem tranſmittuntur, quæ cauſæ ſunt; quæ perſonæ ſunt, ad hæredem non tranſeunt.

CELSVS

Neratius conſultus, an quod beneficium dare ſe quaſi uiuenti Cæſar reſcripſerat, iam defuncto dediſſe exiſtimaretur: reſpondet, non uideri ſibi principem, quod ei, quem uiuere exiſtimabat, conceßiſſet, defuncto conceßiſſe.

Quem tamen modum eſſe beneficij ſui uellet ipſius æſtimationem eſſe.

VLPIANVS

Quod cuique pro eo præſtatur, inuito non tribuitur. l. inuitus.

BONA FIDES.

VLPIANVS

Generaliter probandum eſt, ubicunque in bonæ fidei iudicijs confertur in arbitrium domini uel procuratoris eius conditio, pro boni uiri arbitrio hoc habendum eſſe. l. in perſonam.

PAVLVS

Bona fides tantundem poßidenti præſtat, quantum ueritas, quoties lex impedimento non eſt.

VLPIANVS

Qui autore iudice comparauit, bonæ fidei poſſeſſor eſt.

CAVTIO.

POMPONIVS

Plus cautionis in rem eſt, quàm in perſonam.

VLPIANVS

Nemo dubitat, ſoluendo uideri eum, qui defenditur.

COMMODVM.

PAVLVS

Secundum naturam eſt, commoda cuiuſq; rei conſequi eum, quem ſequentur incommoda.

IABOLENVS

Fructus rei eſt uel pignori dare licere.

HERM

HERMOGENIANVS

Quoties in utriuſque cauſa lucri ratio uertitur: is præferendus eſt, cuius in lucro cauſa tempore præcedit.

VLPIANVS

Locupletior non eſt factus, qui liberum adquiſiuerit.

IDEM

Cùm de lucro duorum quæritur, melior eſt cauſa poßidentis. l. nemo prædo.

PAVLVS

Factum cuique ſuum, non aduerſario ſuo nocere debet.

VLPIANVS

Ex qua perſona quis lucrum capit, eius factum præſtare debet.

PAVLVS

Cuius effectus omnibus prodeſt, eius & partes ad omnes pertinent.

CONDITIO.

VLPIANVS

In iure ciuili receptum eſt: quoties per eum, cuius intereſt conditionem non impleri, fiat, quò minus impleatur: perinde haberi, ac ſi impleta conditio fuiſſet. Quod & ad libertates, & legata, & ad hæredum inſtitutiones perducitur. Quibus exemplis ſtipulationes quoque committuntur: cùm per promiſſorem factum eſſet, quò minus ſtipulator conditioni pareret.

IVLIANVS

Quod pendet, non eſt pro eo, quaſi ſit. l. is damnum dat.

CVLPA.

POMPONIVS

Culpa eſt immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti.

IDEM

In omnibus cauſis pro facto accipitur id, in quo per alium mora eſt, quò minus fiat.

VLPIANVS

Culpa caret, qui ſcit, ſed prohibere non poteſt.

CAIVS

Imperitia culpæ adnumeratur.

CONTRACTVS.

VLPIANVS

Qui cum alio contrahit, uel eſt, uel debet eſſe non ignarus conditionis eius. Hæredi autem hoc imputari non poteſt, cùm non ſponte cum legatarijs contrahat.

IDEM

Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt, quidam & dolum & culpam. Dolum tantùm: depoſitum, & precarium. Dolum & culpam: mandatum, commodatum, uenditum, pignori acceptum, locatum, item dotis datio, tutelæ, negotia geſta. In his quidem & diligentia. Sed & ſocietas & rerum communio & dolum & culpam recipit. Sed hæc ita: niſi ſi quid nominatim conuenit, uel plus, uel minus in ſingulis contractibus. Nam hoc ſeruabitur, quod initio conuenit (legem enim contractui dedit) excepto eo, quod Celſus putat, non ualere, ſi conuenerit: ne dolus præſtetur. hoc enim bonæ fidei iudicio contrarium eſſe. Et ita utimur.

PAVLVS

Imaginaria uenditio non eſt pretio accedente.

VLPIANVS

Semper in ſtipulationibus & in cæteris contractibus id ſequimur, quod actum eſt. Vnde ſi non paret, quid actum

actum eſt: erit conſequens, ut id ſequamur, quod in regione, in qua actum eſt, frequentatur. Quid ergo, ſi neq; regionis mos adpareat, quia uarius fuit? Ad id, quod minimum eſt, redigenda ſumma eſt.

CAIVS

Priuatorum conuentio iuri publico non derogat. l. neque pignus.

IDEM

Neque pignus, neque depoſitum, neq; precarium, neque emptio, neq; locatio rei ſuæ conſiſtere poteſt.

VLPIANVS

Socij mei ſocius, meus ſocius non eſt. l. conſilij.

IVLIANVS

Ea, quæ raro accidunt, non temere in agendis negotijs computantur.

VLPIANVS

Nec paciſcendo, nec legem dicendo, nec ſtipulando, quiſquam alteri cauere poteſt. l. Quintus Mutius.

POMPONIVS

Donari uidetur, quod nullo cogente iure conceditur.

IDEM

Quæ dubitationis tollendæ cauſa contractibus inſcruntur, ius commune non lædunt.

VLPIANVS

Aliud eſt uendere, aliud eſt uendenti conſentire.

CAIVS

Creditor, qui permittit rem uenire, pignus dimittit.

IDEM

Omnia, quæ iure contrahuntur, contrario iure pereunt.

PAVLVS

Vbi uerba coniuncta non ſunt, ſufficit alterutrum eſſe fa-

ctum.l.in eo quod plus.

VLPIANVS

Cui ius eſt donandi, eidem & uendendi & concedendi ius eſt.

IDEM

Cùm quis poßit alienare, poterit & conſentire alienationi. Cui autem donare non conceditur: probandum erit, nec ſi donationis cauſa conſenſerit, ratam eius uoluntatem habendam.

IDEM

Vbi non uoce, ſed præſentia opus eſt, mutus, ſi intellectum habet, poteſt uideri reſpondere. idem & in ſurdo hic quidem reſponderi poteſt.

MODESTINVS

Expreſſa nocent, non expreſſa non nocent.

VLPIANVS

In contractibus, quibus doli præſtatio, uel bona fides ineſt: hæres in ſolidum tenetur. l. hoc iure utimur.

PAVLVS

In ſtipulationibus id tempus ſpectatur, quo contrahimus. l. non omne.

VLPIANVS

In contractibus ſucceſſores ex dolo eorum, quibus ſucceſſerunt, non tantùm in id, quod peruenit, uerùm etiam in ſolidum tenentur: hoc eſt, unuſquiſque pro ea parte, qua hæres ſit. l. ad ea, quæ.

DOMINIVM.

POMPONIVS

Id, quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt.

VLP

VLPIANVS

Qui poteſt inuitis alienare: multò magis & ignorantibus & abſentibus poteſt.

PAVLVS

Non ut ex pluribus cauſis deberi nobis idem poteſt: ita ex pluribus cauſis idem poßit eſſe noſtrum.

IVLIANVS

Quod nullius eſſe poteſt, id ut alicuius fieret, nulla obligatio ualet efficere.

CELSVS

Quod euincitur in bonis non eſt.

CAIVS

Non uidetur perfectè cuiuſq; id eſſe, quod ex caſu auferri poteſt. l. omnes actiones.

PAVLVS

Non poteſt uideri accepiſſe, qui ſtipulatus poteſt exceptione ſubmoueri. l. ſi quis obligatione.

VLPIANVS

Plerunq; fit, ut etiam ea, quæ à nobis abire poßint: perinde in eo ſtatu ſint, atq; ſi non eſſent eius conditionis, ut abire poßint. Et ideò quod fiſco obligamus, & uindicare interdum, & alienare, & ſeruitutem prædio imponere poſſumus.

DAMNVM.

POMPONIVS

Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.

IDEM

Nemo poteſt mutare conſilium ſuum in alterius iniuriam.

PAVLVS

Non ſolet deterior conditio fieri eorum, qui litem cõteſtati

ſunt, quàm ſi nō eſſent: ſed plerunq; melior. Nemo enim in perſequendo deteriorem cauſam, ſed meliorem facit. Denique poſt litis conteſtationem hæredi quoq; proſpicitur, & hæres tenetur ex omnibus cauſis.

POMPONIVS

Non uidetur rem amittere, cuius propria non fuit.

IVLIANVS

Is damnum dat, qui iubet dare. Eius uerò nulla culpa eſt, cui parere neceſſe ſit.

PAVLVS

Nemo damnum facit, niſi qui id fecit, quod facere ius non habet.

VLPIANVS

Quod quis ex culpa ſua damnum ſentit, non intelligitur damnum ſentire.

DEFINITIO.

VLPIANVS

Omnis definitio in iure ciuili periculoſa eſt. Rarum enim eſt, ut non ſubuerti poßit.

PAVLVS

Regula eſt, quæ rem, quæ eſt, breuiter enarrat: non ut ex regula ius ſumatur, ſed ut iure, quod eſt, regula fiat. Per regulam igitur breuis rerum narratio traditur, & (ut ait Sabinus) quaſi cauſæ coniectio: quæ ſimul cùm in aliquo uiciata eſt, perdit officium ſuum.

DELICTVM.

VLPIANVS

Qui uetante prætore fecit, hic aduerſus edictum feciſſe propriè dicitur.

IDEM

IDEM

Nemo prædo eſt, qui pretium numerauit.

PAVLVS

Qui non facit, quod facere debet: uidetur facere aduerſus ea, quæ non facit. At qui facit, quod facere non debet: non uidetur facere id, quod facere iuſſus eſt.

VLPIANVS

Nemo ex ſuo delicto meliorem ſuam conditionem facere poteſt. l. non fraudantur.

PAVLVS

Non uidetur uim facere, qui iure ſuo utitur, & ordinaria actione experitur. l. factum cuiq; ſuum.

VLPIANVS

Cùm par delictum eſt duorum: ſemper oneratur petitor, & melior habetur poſſeſſoris cauſa: ſicut fit, cùm de dolo excipitur petitoris. Neque enim datur talis replicatio petitori, AVT SI REI QVOQVE IN EA RE DOLO ACTVM SIT.

VLPIANVS

Hoc iure utimur, ut quidquid omnino per uim fiat, id aut in uis publicæ, aut priuatæ crimen incidat.

IDEM

Deiecit & qui mandauit. l. hoc iure utimur.

PAVLVS

Nunquam creſcit ex poſtfacto præteriti delicti æſtimatio. l. omnis hæreditas.

DOLVS.

PAVLVS

Non ſolet deterior conditio fieri eorum, qui litem conteſtati ſunt, quàm ſi non eſſent: ſed plerunq; melior.

VLPIANVS

Conſilij non fraudulenti nulla obligatio eſt. Cæterùm ſi dolus & calliditas intereeſſerit, de dolo actio competit.

CAIVS

Alterius circunuentio alij non præbet actionem.

IDEM

Nullus uidetur dolo facere, qui ſuo iure utitur.

IVLIANVS

Ea eſt natura cauillationis, quam Græci σόφισμα appellant: ut ab euidenter ueris per breuiſsimas mutationes diſputatio ad ea, quæ euidenter falſa ſunt, perducatur.

POMPONIVS

Generaliter cùm de fraude diſputatur, non quid habeat actor, ſed quid per aduerſarium habere non potuit, conſiderandum eſt.

IDEM

Fraudis interpretatio ſemper in iure ciuili, non ex euentu duntaxat, ſed ex conſilio quoq; deſideratur.

PAVLVS

Nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cùm prohibere non poſsit.

VENVLEIVS

Non poteſt improbus uideri, qui ignorat, quantum ſoluere debeat.

VLPIANVS

Non capitur, qui ius publicum non ſequitur. l. nihil conſenſui.

IVLIANVS

Dolo facit, qui petit, quod redditurus eſt. l. in condemnatione.

VLPIANVS

Nemo uidetur fraudare eos, qui ſciunt & conſentiunt.

PAVLVS

Nihil dolo creditor facit, qui ſuum recipit.

IABOLENVS

Non poteſt dolo carere, qui imperio magiſtratus non obtemperat.

IDEM

Neq; in interdicto, neq; in cæteris cauſis pupillo nocere oportet dolum tutoris, ſiue ſoluendo eſt, ſiue non eſt.

VLPIANVS

Non fraudantur creditores, cùm quid non adquiritur à debitore, ſed cum quid de bonis deminuitur.

IVLIANVS

Nemo uidetur in dolo eſſe, qui ignorat cauſam, cur non debeat petere. l. qui in ius.

EXCEPTIO.

CAIVS

Nemo ex ijs, qui negant ſe debere, prohibetur etiam alia defenſione uti, niſi lex impediat.

IDEM

Non uidetur defendere non tantùm qui latitat: ſed & is, qui præſens negat ſe defendere, aut non uult ſuſcipere actionem.

IVLIANVS

Deſinit debitor eſſe is, qui nactus eſt exceptionem iuſtam, nec ab æquitate naturali abhorrentem. l. Marcellus notat.

PAVLVS

Qui rem alienam defendit, nunquam locuples habetur.

CEL

CELSVS

Vani timoris iuſta excuſatio non eſt.

CAIVS

Fauorabiliores rei potius, quàm actores habentur.

VLPIANVS

Inuitus nemo rem cogitur defendere.

FOEMINA.

VLPIANVS

Fœminæ ab omnibus officijs ciuilibus uel publicis remotæ ſunt. & ideo nec iudices eſſe poſſunt, nec magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio interuenire, nec curatores exiſtere.

PAVLVS

Mulieribus tunc ſuccurrendum eſt, cum defraudantur, non ut facilius calumnientur. l. in eo quod plus.

FVRIOSVS.

PAVLVS

In negotijs contrahendis alia cauſa habita eſt furioſorũ: alia eorum, qui fari poſſunt, quamuis actum rei non intelligerent. Nam furioſus nullum negotium contrahere poteſt: pupillus omnia tutore autore agere poteſt.

VLPIANVS

Furioſus abſentis loco eſt, & ita Pomponius libro primo epiſtolarum ſcripſit. l. ubi non uoce.

FILIVSFAMILIAS.

MAETIANVS

Filusfamiliàs neq; retinere, neq; recuperare, neq; adipiſci poſſeſsionem rei peculiaris uidetur.

CELSVS

Pupillus nec uelle, nec nolle in ea ætate (niſi adpoſita tutoris autoritate) creditur. Nam quod animi iudicio fit, in ea tutoris autoritas neceſſaria eſt.

PAVLVS

Pupillum, qui proximus pubertati ſit, capacem eſſe & furandi, & iniuriæ faciendæ.

IDEM

Pupillus pati poſſe non intelligitur. l. in eo quod plus.

FIDEIVSSOR.

PAVLVS

Nemo alienæ rei expromiſſor idoneus uidetur, niſi cum ſatiſdatione. l. in eo quod plus.

HAERES.

VLPIANVS

Non uult hæres eſſe, qui ad alium transferre uoluit hæreditatem.

POMPONIVS

Sicuti pœna ex delicto defuncti hæres teneri non debet: ita nec lucrum facere, ſi quid ex ea re ad eum perueniſſet.

CAIVS

Qui in alterius locum ſuccedunt, iuſtam habent cauſam ignorantiæ, an id quod peteretur, deberetur. Fideiuſſores quoq; non minus, quàm hæredes, iuſtam ignorantiam poſſunt allegare.

Hæc ita de hærede dicta ſunt, ſi cum eo agitur, non etiam ſi agat. Nam planè qui agit, certus eſſe debet: cùm ſit in poteſtate eius, quando uelit, experiri: & antè debet rem diligenter explorare, & tunc ad agen-

dum

dum procedere.

IDEM

Toties in hæredem damus actionem de eo, quod ad eum peruenit, quoties de dolo defuncti conuenitur, non quoties ex ſuo.

VLPIANVS

Hæredem eiuſdem poteſtatis iuriſq; eſſe, cuius fuit defunctus conſtat.

IVLIANVS

Hæreditas nihil aliud eſt, quàm ſucceßio in uniuerſum ius, quod defunctus habuerat.

VLPIANVS

Nemo poteſt tutorem dare cuiquã, niſi ei, quem in ſuis hæredibus, cum moritur, habuit, habiturus'ue eſſet ſi uixiſſet. l. quintus Mutius.

IDEM

Quò tutela redit, eò & hæreditas peruenit, niſi cum fœminæ hæredes intercedunt.

PAVLVS

Quoties duplici iure defertur alicui ſucceßio: repudiato nouo iure, quod antè defertur, ſupererit uetus.

IDEM

In hæredem non ſolent actiones tranſire, quæ pœnales ſunt ex maleficio, ueluti furti, damni, iniuriæ, iniuriarum, ui bonorum raptorum. l. pupillum.

VLPIANVS

Abſurdum eſt, plus iuris habere, cui legatus ſit fundus, quàm hæredem, aut ipſum teſtatorem, ſi uiueret. l. aliud eſt uendere.

PAVLVS

Prætor bonorum poſſeſſorem hæredis loco in omni cau-

ſa hab

ſa habet.

IVLIANVS

Si nemo ſubijt hæreditatem, omnis uis teſtamenti ſoluitur.

IDEM

Qui in ius dominium'ue alterius ſuccedit, iure eius uti debet.

PAVLVS

Hi, qui in uniuerſum ius ſuccedunt, hæredis loco habentur, l. in pari cauſa.

IDEM

Cùm prætor in hæredem dat actionem, quatenus ad eum peruenit: ſufficit, ſi uel momento ad eum peruenit ex dolo defuncti.

IDEM

Nemo plus commodi hæredi ſuo relinquit, quàm ipſe habuit.

MARCELLVS

Ea, quæ in partes diuidi non poſſunt, ſolida à ſingulis hæredibus debentur.

CELSVS

Omnia ferè iura hæredum perinde habentur, ac ſi continuò ſub tempus mortis hæredes extitiſſent.

MODESTINVS

Qui per ceſſionem, quamuis longiſſimam, defuncto hæredes extiterunt: non minus hæredes intelliguntur, quàm qui principaliter hæredes extiterint.

PAVLVS

Omnis hæreditas, quamuis poſtea adeatur, tamen cùm tempore mortis continuatur.

IDEM

Vni duo pro ſolido hæredes eſſe non poſſunt. l. quod contra.

VLPIANVS

Quod ipſis, qui contraxerunt, obſtat: & ſucceſſoribus eorum obſtabit.

IDEM

Cùm quis in alicuius locum ſucceſſerit: non eſt æquum ei nocere hoc, quod aduerſus eum nō nocuit, in cuius locum ſucceſſerit. l. inuitus.

INTERPRETATIO.

VLPIANVS

Semper in obſcuris, quod minimum eſt ſequimur.

IDEM

Quoties dubia interpretatio libertatis eſt: ſecundum libertatem reſpondendum erit.

CAIVS

Semper in dubijs benigniora præferenda ſunt.

IVLIANVS

Quoties idem ſermo duas ſententias exprimit, ea potiſſimùm accipietur, quæ rei gerendæ aptior eſt.

PAVLVS

In ambiguis, pro dotibus reſpondere melius eſt.

MAETIANVS

In ambiguis orationibus maximè ſententia ſpectanda eius, qui eas protuliſſet.

PAVLVS

Quoties æquitatem deſiderij naturalis ratio, aut dubitatio iuris moratur: iuſtis decretis res temperanda eſt. l. in ambiguis pro dotibus.

IDEM

In eo, quod plus ſit, ſemper ineſt & minus.

CAIVS

In toto & pars continetur.

PAV

PAVLVS

In obſcuris inſpici ſolet, quod ueriſimilius eſt, aut quod plerunque fieri ſolet.

IVLIANVS

Rapienda occaſio eſt, quæ præbet benignius reſponſum.

IDEM

Quod factum eſt, cùm in obſcuro ſit: ex adfectione cuiuſque capit interpretationem. l. rapienda.

IVLIANVS

In contrahenda uenditione ambiguum pactum contra uenditorem interpretandum eſt. Ambigua autem intentio ita accipienda eſt, ut res ſalua ſit actori.

IDEM

In obſcura uoluntate manumittentis, fauendum eſt libertati.

MARCELLVS

In re dubia benigniorem interpretationem ſequi, non minus iuſtius eſt, quàm tutius. l. ea, quæ in partes.

PAVLVS

In pœnalibus cauſis benignius interpretãdũ eſt. l. factũ cuiq;.

IDEM

Quod contra rationem iuris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentia.

IDEM

Qui tacet non utique fatetur: ſed tamen uerum eſt, cum non negare.

VLPIANVS

Quoties nihil ſine captione inueſtigari poteſt: eligendum eſt, quod minimum habeat iniquitatis.

CAIVS

Semper ſpecialia generalibus inſunt.

IMPVBES.

VLPIANVS

Item impubes omnibus officijs ciuilibus debet abſtinere.l.ij.

IMPOSSIBILE.

CELSVS

Impoßibilium nulla obligatio eſt.

VLPIANVS

Ea, quæ dari impoßibilia ſunt, uel quæ in rerum natura non ſunt, pro non adiectis habentur.

INTERESSE.

PAVLVS

Quatenus cuiuſque interſit, in facto, non in iure conſiſtit.

IVDICIVM.

PAVLVS

Vbicunque cauſæ cognitio eſt, ibi prætor deſideratur.

IVLIANVS

Qui iuſſu iudicis aliquid facit, non uidetur dolo malo facere: quia parere neceſſe habet. l. non uidentur data.

IDEM

Factum à iudice, quod ad officium eius non pertinet, ratum non eſt.

IDEM

Cùm uerbum RESTITVAS, *lege inuenietur: & ſi non ſpecialiter de fructibus additum eſt: tamen & fructus ſunt reſtituendi.l.in condemnatione.*

IDEM

In condemnatione perſonarum, quæ in id, quod facere poſſunt, damnantur: non totum, quod habent, extorquendum eſt: ſed & ipſarum ratio habenda eſt, ne egeant.

VLP

VLPIANVS

Res iudicata pro ueritate accipitur.

IVS.

POMPONIVS

Iura ſanguinis nullo iure ciuili dirimi poſſunt.

PAVLVS

Nec ex prætorio, nec ex ſolemni iure priuatorum conuentione quidquam immutandum eſt: quamuis obligationum cauſæ pactione poſſunt immutari, & ipſo iure, & per pacti conuenti exceptionem: quia actionum modus, uel lege, uel per prætorem introductus priuatorum pactionibus non infirmatur: niſi tunc, cùm inchoatur actio, inter eos conuenit.

VLPIANVS

Nemo plus iuris ad alium transferre poteſt, quàm ipſe haberet.

IDEM

Domum ſuam reficere unicuiq; licet: dum non officiat inuito alteri, in quo ius non habet.

POMPONIVS

In toto iure generi per ſpeciem derogatur: & illud potiſſimum habetur, quod ad ſpeciem directum eſt.

IVLIANVS

Non debeo melioris conditionis eſſe, quàm autor meus, à quo ius in me tranſit. l. in omnibus officijs.

CELSVS

Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata ſunt, l. ubi pugnantia.

MARCELLVS

Et ſi nihil facilè mutandum eſt ex ſolennibus: tamen ubi æ-

quitas euidens poſcit, ſubueniendum eſt.

VLPIANVS

Temporaria permutatio ius prouinciæ non innouat. l. nemo alieno.

PAVLVS

Non omne, quod licet, honeſtum eſt.

VLPIANVS

Iure naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento & iniuria fieri locupletiorem.

PAVLVS

In omnibus quidem, maximè tamen in iure, æquitas ſpectanda ſit.

LEGATVM.

POMPONIVS

Quæ legata mortuis nobis ad hæredem noſtrum tranſeunt: eorum commodum per nos his, quorum in poteſtate ſumus, eodem caſu adquirimus: aliter, atque quod ſtipulati ſumus. Nam & ſub conditione ſtipulantes, omnimodo eis adquirimus, etiam ſi liberatis nobis poteſtate domini conditio exiſtat.

LIBERI.

CELSVS

Si quis prægnantem uxorem reliquit: non uidetur ſine liberis deceßiſſe.

MORA.

IVLIANVS

Qui ſine dolo malo ad iudicium prouocat, non uidetur moram facere.

SCAEVOLA

Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio eſt.

IVLIANVS

Vnicuique ſua mora nocet. Quod & in duobus reis promittendi obſeruatur. l. in condemnatione.

MATRIMONIVM.

VLPIANVS

Nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit.

PAVLVS

Quidquid in calore iracundiæ uel fit, uel dicitur: non prius ratum eſt, quàm ſi perſeuerantia apparuerit iudiciū animi fuiſſe. Ideoq; breui reuerſa uxor, nec diuortiſſe uidetur.

NECESSITAS.

PAVLVS

Quæ propter neceßitatem recepta ſunt, non debent in argumentum trahi.

OBLIGATIO.

POMPONIVS

In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur.

VLPIANVS

In perſonam ſeruilem nulla cadit obligatio.

PAVLVS

Cùm amplius ſolutum eſt, quàm debebâtur: cuius pars non inuenitur, quæ repeti poßit, totum eſſe indebitum intelligitur, manente priſtina obligatione.

IDEM

Is natura debet, quem iure gentium dare oportet, cuius fidem ſecuti ſumus. l. cùm amplius.

IVLIANVS

Nemo ideò obligatur, quia recepturus eſt ab alio quod præſtiterit.

PAVLVS

Ferè quibuſcunq; modis obligamur, iiſdem in contrarium actis liberamur: cum quibus modis adquirimus, iiſdem in contrarium actis amittimus. Vt igitur nulla poſſeßio adquiri, niſi animo & corpore poteſt: ita nulla amittitur, niſi in qua utrunque in contrarium actum eſt.

POSSESSIO.

PAVLVS

In pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet.

VLPIANVS

Non alienat, qui duntaxat omittit poſſeßionem.

PAVLVS

Qui dolo deſijt poßidere, pro poßidente damnatur: quia pro poſſeſſore dolus eſt.

VLPIANVS

Parem eſſe conditionem oportet eius, qui quid poßideat, uel habeat: atque eius, cuius dolo malo factum eſt, quò minus poßideret, uel haberet.

IDEM

Semper qui dolo fecit, quò minus haberet: pro eo habendus eſt, ac ſi haberet. l. ad ea. quæ.

POTESTAS.

VLPIANVS

Non debet, cui quod plus eſt, licet, quod minus eſt nō licere.

IDEM

Nemo, qui condemnare poteſt, abſoluere non poteſt.

IDEM

Nemo poteſt gladij poteſtatem ſibi datam, uel cuiuſuis alterius coërcitionis, ad alium transferre.

PAVLVS

Nemo de domo ſua extrahi debet.

VLPIANVS

Refertur ad uniuerſos, quod publicè fit per maiorem partem. l. aliud eſt uendere.

IVLIANVS

Qui poteſt facere, ut poßit conditioni parere: iam poſſe uidetur.

IDEM

Quod quis (ſi uelit) habere non poteſt, id repudiare nõ poteſt. l. qui poteſt.

IDEM

Non eſt ſingulis concedendum, quod per magiſtratum publicè poßit fieri, ne occaſio ſit maioris tumultus faciendi.

POENA.

CAIVS

Quod à quoquàm pœnæ nomine exactum eſt, id eidem reſtituere nemo cogitur.

PAVLVS

Ferè in omnibus pœnalibus iudicijs, & ætati, & imprudentiæ ſuccurritur.

HERMOGENIANVS

Ea ſola deportationis ſententia aufert, quæ ad fiſcum perueniunt.

PAVLVS

Pœnalia iudicia ſemel accepta, in hæredes trãſmitti poſſunt.

SOLVTIO.

VLPIANVS

Nihil tam naturale eſt, quàm eo genere quodq; diſſoluere, quo colligatum eſt. Ideò uerborum obligatio uerbis tollitur: nudi conſenſus obligatio contrario conſenſu diſſoluitur.

IVLIANVS

Quod iuſſu alterius ſoluitur, pro eo eſt, quaſi ipſi ſolutum eſſet.

SERVVS.

VLPIANVS

Quod attinet ad ius ciuile, ſerui pro nullis habentur. Non tamen & iure naturali: quia quod ad ius naturale attinet, omnes homines æquales ſunt.

CAIVS

Cum ſeruis nulla actio eſt.

PAVLVS

Libertas inæſtimabilis res eſt.

IVLIANVS

In omnibus officijs, quæ fieri per liberas perſonas leges deſiderant, ſeruus interuenire non poteſt.

IDEM

Infinita æſtimatio eſt libertatis & neceſsitudinis. l. non eſt ſingulis.

CAIVS

Libertas omnibus rebus fauorabilior eſt.

VLPIANVS

Qui in ſeruitute eſt, uſucapere non poteſt. Nam cùm poſsideatur, poßidere non uidetur.

CAIVS

Melior conditio noſtra per ſeruos fieri poteſt, deterior fieri non poteſt.

PAVLVS

Quod quis dum ſeruus eſſet, egit: proficere libero facto non poteſt.

IDEM

Seruus Reipublicæ cauſa abeſſe non poteſt.

VLP

VLPIANVS

Seruitutem mortalitati ferè comparamus. IDEM

Ad ea, quæ non habent atrocitatem facinoris, uel ſceleris: in his ignoſcitur ſeruis, ſi uel dominis, uel his, qui uice dominorum ſunt (ueluti tutoribus & curatoribus) obtemperauerint.

SCRIPTVM.

VLPIANVS

Non ſolent, quæ abundant, uitiare ſcripturas.

SCAEVOLA

Si librarius in tranſcribendis ſtipulationis uerbis erraſſet: nihil nocere, quò minus & reus & fideiuſſor teneatur.

TESTAMENTVM.

POMPONIVS

Ius noſtrum non patitur eundem in paganis & teſtatò & inteſtatò deceßiſſe: earumq; rerum naturaliter inter ſe pugna eſt.

PAVLVS

In teſtamentis plenius uoluntates teſtantium interpretātur.

IDEM

Cùm tempus in teſtamēto adijcitur, credendum eſt pro hærede adiectum: niſi alia mens fuerit teſtatoris: ſicut in ſtipulationibus promiſſoris gratia tempus additur.

VLPIANVS

Quæ in teſtamento ita ſunt ſcripta, ut intelligi non poßint: perinde ſunt ac ſi ſcripta non eſſent. l. Quintus Mutius.

PAVLVS

Quamdiu poßit ualere teſtamentum, tamdiu legitimus

non admittitur.

CELSVS

Vbi pugnantia inter ſe in teſtamento inueniuntur: neutrum ratum eſt.

VLPIANVS

Omnia, quæ ex teſtamento proficiſcuntur, ita ſtatim euentus capiunt, ſi initium quidem ſine uitio ceperint.

TEMPVS.

PAVLVS

Vbi lex duorum menſium fecit mentionem, & qui ſexageſimo & primo die uenerit, audiendus eſt. Ita enim Imperator Antoninus cum diuo patre ſuo reſcripſit.

VIS.

VLPIANVS

Vi factum id uidetur eſſe, qua de re quis, cum prohiberetur, fecit. Clàm, quod quiſq; cùm controuerſiam haberet, habiturum'ue ſe putaret, fecit. l. Quintus Mutius.

VITIOSVM.

PAVLVS

Quod initio uitioſum eſt, non poteſt tractu temporis conualeſcere.

VLPIANVS

Verum eſt, neq; pacta, neq; ſtipulationes factum poſſe tollere. Quod enim impoßibile eſt, neque pacto, neq; ſtipulatione poteſt comprehendi, ut utilem actionem, aut factum efficere poßit.

PAVLVS

Non eſt nouum, ut quæ ſemel utiliter conſtitutæ ſunt, durent: licet ille caſus extiterit, à quo initium capere non

potuerunt

potuerunt.l.in ambiguis pro dotibus.

LICINIVS RVFINVS

Quæ ab initio inutilis fuit inſtitutio, ex poſtfacto conualeſcere non poteſt.

VOLVNTAS.

VLPIANVS

Eius eſt non uelle, qui poteſt & uelle. IDEM

Velle non creditur, qui obſequitur imperio patris uel domini.

POMPONIVS

Furioſi, uel eius, cui bonis interdictum ſit, nulla uoluntas eſt.

VLPIANVS

Semper qui non prohibet pro ſe interuenire, mandare creditur. Sed & ſi quis ratum habuerit, quod geſtum eſt: obſtringitur mandati actione.

PAVLVS

Inuito beneficium non datur.

POMPONIVS

Is totum omnia, quæ animi deſtinatione agenda ſunt, non niſi uera & certa ſcientia perfici poſſunt.

VLPIANVS

Nihil conſenſui tam contrarium eſt, qui & bonæ fidei iudicia ſuſtinet, quàm uis atque metus: quem comprobare, contra bonos mores eſt.

IDEM

Non uidentur, qui errant, conſentire.l.nihil conſenſui.

CELSVS

Pupillus nec uelle, nec nolle in ea ætate (niſi adpoſita tutoris autoritate) creditur. Nam quod animi iudicio fit, in eo

in eo tutoris autoritas neceſſaria eſt.

VLPIANVS

Ratihabitio mandato comparatur.

REGVLARVM IVRIS ANTIQVI FINIS.

REGVLARVM LOCI.

Abſentia Pagina 114
Acceſſorium 114
Accipere 113
Actio 111
Actus 113
Beneficium 114
Bona fides 115
Cautio 115
Commodum 115
Conditio 116
Contractus 117
Culpa 116
Damnum 119
Definitio 121
Delictum 121
Dolus 122
Dominium 119
Exceptio 124
Fideiuſſor 126
Filiusfamilias 125
Fœmina 125
Furioſus 125
Hæres 126
Impoßibile 131
Impubes 131
Intereſſe 131
Interpretatio 129
Iudicium 131
Ius 132
Legatum 133
Liberi 133
Matrimonium 134
Mora 133
Neceßitas 134
Obligatio 134
Pœna 136
Poſſeßio 135
Poteſtas 135
Scriptum 138
Seruus 136
Solutio 136
Tempus 139
Teſtamentum 138
Vitioſum 139
Vis 139
Voluntas 140

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE